



# Disputatio medica inauguralis de calculo

<https://hdl.handle.net/1874/345136>

6.

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
**CALCULO,**

QUAM  
PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

**JACOBI VALLAN,**

M. D. Praxeos & Institut. Med. Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici Consensu, Nobilissimæque*

*Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS;

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subijcit*

DAVID DE LION BENAVENTUS, AMSTELOD.

*Ad diem 16. April horâ locòque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup>c xci.

*Viris clarissimis Domino Patri,*

SAMUELI DE LION BENAVENTO,  
filiali, & præceptori obsequioso. D. PETRO BERNA-  
GIE, amore prosequendis donec victurus sum, altri  
Chyrurgiam altri Medicinam feliciter Amstelodami exer-  
centibus.

EN vobis Clarissimi Viri, quæ à vobis aliquando hausi,  
ea omnia modo trado; à te dilectissimo Patre Chyrur-  
giam juxta atque Lithotomiam, à te vero admodum obser-  
vande Præceptor integram Medicinam cum veterem, tum  
neotericam. Quidquid nunc sum, & quidquid procedente  
tempore futurus sum, id totum vobi adscribendum erit, ille  
enim nullis sumptibus, hic nulli labori, nulli studio, nul-  
lique industriæ in me erudiendo pepercit. Non inficias ibo,  
me nullo modo sufficientem esse, ut tot tantaque beneficia  
in me collata, unquam vobis solvere possim. Verum tamen  
spero, fore si non modo, ut aliquando mihi fiat copia universo  
mundo ostendendi, quantum vobis debeam, quantumque  
sim obstrictus. Interea temporis, par, atque æquum, cen-  
seo me vobis hæc theses de *Calculo*, cujus studio me totum,  
post hac dediturus sum, ut saltem aliquid ingentis mei erga  
vos amoris, argumentum præbeam, offerre, dedicare, ac  
consecrare. Sed enim quid diutius moror viros occupatissi-  
mos? accipite igitur eas, qualescunque sint, quo soletis  
omnia, benigno animo, non aspernando hoc, quantumvis exi-  
guum, munusculum, non laudum vestrarum, quas pro  
dignitate nunquam satis superque prædicare valebo, sed tan-  
tum, meæ maximæ in vos benevolentia. Sit itaque finis  
voto & precibus, ut Deus Optimus Maximus vos in com-  
mune bonum incolumes custodiat, Nestoreos annos.

*Utriusque humilimus & morem  
gerens Discipulus,*

DAVID DE LION BENAVENTUS.



DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,

D E

CALCULO.

THESIS I.



Gritudines omnes, ut plurimum nomen fortiuntur vel a membro, vel ab aliquo symptomate, à causis, nec non ab eo, qui talem primum passus sit ægritudinem, vel ab alicujus affectus substantia, ab essentia ac demum a similitudine, ut refert. *Avic. in fen. 2. lib. 1.*

*doct. 1. cap. 8.* Sic & calculus, nomen obtinuit à calcinatione, quasi talis humor à quo fit in corpore nostro à calore calcinaretur; unde etiam lapis à similitudine tam formæ quam substantiæ: à nonnullis Auctoribus Lythiasis quasi calculosa dispositio diceretur. Atque de hoc affectu hæc theses placuit proponere,

A 2

ponere,

ponere, & eruditorum examini subicere: Atque ut clarius pateat ejus natura ac essentia incipiendum est à definitione.

## II.

Calculus igitur, sive lapis, definitur substantia dura in lapidis seu calculi formam confecta à causis præter naturam genita, & diversa symptomata excitans.

## III.

Cum ergo calculus in quavis corporis nostri parte concrescat, ideo videndum est, quisnam sit locus generationis calculi in nobis, quæque ejus causa materialis efficiens, non tantum continens & proxima, sed etiam quæcunque ad illius productionem concurrere possunt; quoad igitur spectat, sive partem corporis nostri in quo solet calculus concrefcere, videtur Gal. *Cap. 4. Lib. 6. de loc. affec.*, tantum venes, vesicam & colum agnoscere. Attamen Pal. *lib. 3. cap. 31.*, sicuti etiam Trall: lapides avellanæ magnitudine, vidit produisse e pectore. Benivenius *Cap. 28.* curavit lapides in colo genitos. Vesal. *lib. de Rad. Chynæ* multos magnosque vidit in cystide fellea hominis icterici post mortem dissecti, Lacuna & Beniven. *cap. 19*, conspexerunt multos lapides natos intra calvariam, mesenterium & uterum; Unde intelligitur quamlibet corporis cavitatem, paulo majorem concipiendo, gignendoque lapidi aptam esse.

IV. Nunc

## IV.

Nunc igitur, quæ sit illius propria materia, & à qua potissimum causa efficiente concreseat videamus. Quamvis Auctores in hoc multum dissentiant, opinionem aliquam nobis assequendam censeo, quoniam nihil, quod præter naturam est, in corpore humano fit absque causa, ut Gal. primo therapeuticæ asserit, ut etiam Avic. placuit in *lib. 3. fen. 19. cap.* de lapide renum dicenti, generationem non compleri, nisi ex materia patiente, & virtute agente, propterea breviter de duplici tantummodo causa materiali (inquam) & efficienti calculorum, nunc à nobis dicendum est, de instrumentali vero quæ causa est vesica, vel renes; & de finali, quæ est calculus jam genitus cum istæ partes sint manifestæ non est ut pluribus nunc differamus.

## V.

Materia ex qua fiunt calculi, poterit quidem esse, quævis materia crassa atque viscida, quæ ad renes vel vesicam feratur: unde omnes succi, omnes humores, omnia denique excrementa, quia habent lentorem quemdam, cujus causa partes divisæ in invicem uniri possunt, ad calculorum concretionem sunt idonea: sed succus pituitosus, quia maxime est lentus viscidusque ad calculi generationem, sive per se, sive cum aliis humoribus per mixtus, omnium est accommodatissimus.

## V I.

Haecenus de causa materiali calculorum nunc de efficiente dicamus. Omissis Auctorum controversiis; nos cum Galeno calorem, causa efficientem censemus. Qui *lib. 1. de Aliment. facul. cap. 5.* agens de pane loto hæc verba habet, (*confert autem hoc maxime ipsorum renum temperamentum, quando ipsorum calor acris fuerit, ac veluti igneus.*) Quam eandem opinionem confirmant, & cæteri Medici, Ætius, sicuti & Paulus *lib. 3. cap. 45. effectrix causa est flagrans rerum ardor.* Et denique *Avic. lib. 3. fen. 18. tract. 2. cap. 16.* proposita antea causa materiali calculi, de efficiente postea loquitur. *Virtus vero agens est caliditas, ab equalitate agressa;* unde secundum has opiniones, calor est causa efficiens calculi, sicuti phlegma, causa materialis.

## V I I.

Quæ quidem sint signa lapidis renalis generandi. Hæc eadem subsequitur lumborum gravitas, in eis, qui cum geniculati fuerint, in se erigendo dolorem parvum sentiunt. Sic etiam fixus dolor, cum punctura parvum locum occupans, & in junctura lumborum gravitas, generatum lapidem in renibus manifestè arguunt: si etiam aliquando videris eundem vomere, propter stomachi & diaphragmatis colligentiam! maximeque, si eidem ilia dolerent, eundem pati lapidem renalem, tuto judicari potest; & maxime, si arenulæ in matulam cum urina defluerint, per

per quas distinguitur à colica, in qua non solent apparere arenulae.

VIII.

At vero, si talis lapis renalis per ureterem in vesicæ cavum delapsus, fuerit, ibi subsisterit cum cessatione doloris, & functionum integritate ut videtur, tunc una vel plures ibi coagmentantur, quæ certo tempore clara suæ generationis & accretionis dabunt indicia, sicuri in illis, qui copiose & diutius profundunt urinas, illas albas, crassas, & turbidas, vel mucosam materiam, matulæ fundo adhærentem, certo dici potest vesicæ calculum adesse, vel cito adfuturum. Præter supradicta signa dantur duotutissima experimenta, primum impositio digiti in anum, secundum experimentum est per catheterem si quis introducat eum in vesicam.

IX.

Prognostica calculorum, five sint in renibus, five in vesica semper maxima inferunt mala; renalis gravissimas inflammationes, five sponte sua, five propter medicamenta accepta. Fiunt etiam ex calculis exulcerationes. Sunt etiam hujusmodi calculi admodum periculosi, & difficiles, si ingrediantur vasa urinaria, neque possunt pertransire, quapropter dolorem inferunt vigilias, & maciem insignem; sunt vero ex iis difficiliore, & periculosiores, asperi, & inæquales: & ex calculis vesicæ facilius extrahuntur in pueris, in senibus vero difficilior.

X. Cu-



## X.

Curatio ad duas intentiones respicere debet, ad materiam & ad causam effectivam. Quantum ad materiam, cum sit majori ex parte succus crassus, lentus, & pituitosus, necessarium & hunc evacuare, revellere, derivare, attenuare, incidere, abstergere, & partes corrigere, ut non amplius generent. Ratione causæ efficientis, renum caliditatem ex siccitatem refrigerantibus & humectantibus emendare. Hæc si cito fiant, sæpissime profunt, multa quidem primo possibilia, & factu facilia, quæ postmodum impossibilia, & curatu difficilia existunt; unde ortum est illud tam ferquenter dictum,

*Principiis obsta, sero Medicina paratur.  
Cum mala per longas invalere moras.*

